

ITALIA NOVA

Ist Italia peninsula, undiq; præterquam ubi alpibus iungitur, maritima cincta, ab oriente Adriatico, ab occidente uero & meridie Tyrrheno. Sunt illi alpes ueluti insuperabilis murus, & duplex ambiens mare ceu naturales fossæ. Intra hæc munimenta, nobilissima coërcetur terra, infinitis penè irrigata amnibus. Hanc Ianus qui & Ogyges ingressus est, quando adhuc erat aurea ætas & iusti homines. Ipse uinum & far primus in Italia docuit, deorum sacrificia & moderatam comedionem. Vnde Fabius pictor: Ianus fuit pontifex religiosus, literatus, philosophus, theologus, pater omnium deorum & hominum, monarcha totius primi gêneris humani, penes quem unum tunc erat totius uasti orbis custodia. Ab hoc Iano Italia primum appellata fuit Ianicula, sicut & Ianua ciuitas ab ipso nomen accepit, quam hodie Genuam vocant. Hic bifrons pingitur, duas enim facies ante & retro habere dixerunt, quod duo uiderit secula, id scilicet quod præcessit & quod secutum est diluvium. Hic alio nomine Nohe uocatur, primus uini inueteror, unde & Ianus cognominatus est. Est enim Iānū in heb. lingua uinum. Huius uxor fuit Estha, cui Romani adjacentes adhuc unam literam fecerunt Vestham, colueruntq; pro dea. Porro Græci heb. uocem mutuantes, ex Ianicula fecerunt Oenotriam, sic scilicet Italiam appellantes. Fuit & Saturnia à Saturno, & Hesperia ab Hespero appellata. Potiores Italizæ partes sunt Histria, Gallia togata, Liguria, Tuscia, Umbria, Latium, Campania, Apulia, Calabria & Græcia magna. Sub quibus plurimæ sunt minores regiones, nempe Insula, Etruria, Aemilia, Flaminia, Lucania, &c.